



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Cain Adami Filius. Epitaphium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Itaque me uxor immortalem peremit;  
 Uxorem ego; uterque omnes.  
 Ah, quam de minimo perivimus!  
 Tantum malum attulit malus.  
 Cujus frondibus obvolutus Anguis,  
 Venenum vomuit, omnes hauserunt.  
 Tuus ergo Genitor, sed nunquam visus,  
 Te peremi antequam gignerem.  
 Sed, ô lætas malorum vices!  
 Ligno eodem reparatus, quo petii,  
 Indidem venenum traxi, & medelam.  
 Unâ in arbore ego deliqui, multatus est Deus,  
 Cujus à cædere divivus,  
 Superos petii, cum Inferos petiis.  
 Minus egeram nisi peccassem.  
 Nomen flagitas?  
 Quatuor Mundi plagarum nomina ab Græcis pete,  
 Anatole. Dyfis. Arctos, Mesebria:  
 Abscissa nominum capita junge; nomen habebis,  
 Dæcubii cognati mihi Mundi Anno  
 MXXX.  
 Surrexi post Annos  
 M. M. M. M. M. CCXXXII.  
 Gaude viator, ac perge.

## C A I N

ADAMI FILIUS.

EPITHAPHIUM.

Huc mala verba, Viator.  
 Perditorum Princeps tales poscit inferias.  
 Hic avarus Agricola, felicis Frater Pastoris,  
 Pejores fruges Artis imponens, omnes amisit;  
 Et ingratus Deo Sator, ingrata sibi Sata deprehendit.  
 Itaq; mordaci consumtus invidia,  
 Quod Abelis Hostiis feliciter succederet;  
 Ne fraternæ Victimæ litarent, Victimam fecit Fratrem.  
 Primus hic flagitiorum institor,  
 Mortem invenit, & invexit.  
 Horruit Mors expiandis sceleribus nata,

## PUERITIA.

Primos sibi aditus per innocentis jugulum frangi,  
Mirata primo seictu magnam orbis partem orbasse,  
Tam dulci delinita sanguine, innocentes avidius petit.  
Tam dextero erudita jactu, ceteros certius ferit.

At non impune tulit proditor,  
Forum nactus Sylvam suam, testem Mortuum,  
Appantorem Umbram, carnificem Cuiquam, judicem Deum.

Ergo inani pavore territus, ac seipsum terrens,  
Idem semper, & alius; ibi semper, & alibi,  
Sed fugit ac sequitur, scelestum;

Umbram suam pavet, mendax mendacem:

Inter mortis metum, ac vitæ odium,

Ut nullibi vivat, ubiq; vivens;

Quia timenda non timuit, timet non timenda.

Ut si campis securitatem depulerat,

Carcerem sibi moliretur.

Sed nulla impiis tuta latebra;

Cum malis ubique malè sit,

Hunc Urbe suâ exulantem

Lamechus Nepos pro fera ferit.

Facili errore, ferarum similem.

Æquo igitur, & iniquo jure,

Malus à Malo supplicium capit, quod dedit;

Et patricidio fratricidium expiatur.

Bis legendum Parentibus facinus;

Cum committitur, & cum punitur,

Malè moritur, vivis Parentibus:

Ab furiis raptatus, primus Tartarum fundavit.

Fuge Viator, ac solum quate.

---

## ABEL

ADAMI FILIUS.

TUMULUS.

Viator, quid est?

Clamosum hoc Solum,

Et ignotam de glebis vocem formidas?

Primus hoc omnium tumulus mortalibus patuit.

A 3

Nondum